

Silvestro, conte di Marsico Vetere

H 13

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Silvestro, conte di Marsico Vetere

H 13

1153-05

In nomine Dei eterni et salvatoris nostri Iesu Christi. Anno incarnationis eiusdem millesimo centesimo quinquagesimo tertio, primo die mensis madii, secunde indictionis, regnante domino nostro W(ilielmo) magnifico ac metuendo rege Sicilie, ducatus Apulie et principatus Capue. Ego Silvester divina donante gratia comes Marsici,

omnipotentis et gloriose Virginis Marie et omnium Sanctorum amore, etiam pro animarum magnifici Rogerii primi comitis Sicilie necnon gloriosi regis Rogerii bone memorie salute, meique genitoris ceterarumque parentum salute, spontanea mea voluntate, precibus etiam crebris intervenientibus domni Iohannis Marsici Sancte Trinitatis de Cava monachi, dono et concedo tibi domne Marine venerabilis abbas Sancte Trinitatis de Cava et tuis successoribus, glandes per totam nostram pertinentiam Marsici pro demaniis suis ecclesie Sancti Petri Tramutule et hominum casalis Tramutule propriorum similiter suibus. Ea videlicet ratione et pacto ut ab isto die in antea secure et sine glandiatico aliquo iamdicti sues tam prefate ecclesie quam proprium hominum eiusdem ecclesie omni tempore pascant, et homines iamdicti casalis Sancti Petri Tramutule de glandibus colligant sicut alii homines Marsici. Que donatio facta est in camera mea Ragusie rogatu et requisitione domni Iohannis Marsicani tui monachi et cappellani, existentibus ibidem idoneis viris, quorum nomina subterleguntur. Quam cartam per manus Lamberti mei notarii scribi precepi et meo sigillo plumbeo confirmari. Si quis vero hanc donationem infringere vel diminuire sive retraere voluerit, sciat se regales componere quinquaginta, medietatem regali

curie et medietatem Sancte Trinitatis de Cava, penaque persoluta presens privilegium pristinum robur obtineat.

Signum manus domni comitis Silvestri, qui hoc confirmat. # Signum manus domni Rogerii fratris domni comitis # Signum manus Gisulfi de palude # Signum manus W(ilielmi) fratris eius # Signum manus W(ilielmi) commestabuli # Signum manus Iohannis Burdonis # Signum manus Rogerii Duranti # Signum manus Goffridi magistri rocce Marsici # Signum manus Iohannis opithi(?).